



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1525. usque ad annum 1529

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1769

VD18 90118480

§. 88. Decretum a Papa Bononiam discessuro editum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66472](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-66472)

terant Argentinenses, atque Ulmenses; Sæcul. XVI.
reponebant enim illi, hunc conventum nullatenus eo fine fuisse indictum, ut doctrinæ capita discuterentur, sed unice, ut ibidem adversus Cæsareæ Majestatis molimina fœdus percuteretur: cum vero ceteræ civitates reponerent, nullum ipsis esse hujus rei mandatum, Landgravius tum fœdus maturare præpediebatur.

A.C. 1529.

§. LXXXVIII.

Decretum a Papa Bononiam discessu editum.

Interea Pontifex Roma Bononiam Extat in proficiisci parabat, ita enim inter ipsum & Carolum Cæsarem constitutum erat: priusquam vero iter aggredetur, die sexta Octobris Constitutionem hunc annum edidit hujus tenoris: Cum Carolus Imperator Turcarum Tyrannum cum potentissimo exercitu ad Regnum Hungaricæ invadendum venire intellexisset, ac desideret ipsi Christianæ Reipublicæ opem ferre, hinc nos pium & honestum ejus desiderium plurimum commendantes ad officium nostrum pertinere cognoscimus, ut ad ipsam civitatem Bononiensem omni celeritate nos conferamus; in alma tamen urbe nostra caffarum, & literarum Apostolicarum audientiam relinquimus, ut si ante redditum nostrum nos ab hac luce

Bullar. t. I.

Clem. VLI.

Constit. 26.

Raynald. ad

hunc annum

num. 75. 77.

Sæcul. XVI. luce migrare contingeret, in ipsa urbe Roma
 A.C. 1529 manu, & non in civitate Bononiensi, seu
 in alio loco, in quo tempore obitus nostri re-
 sideremus, electio Romani Pontificis fieri de-
 beat; nisi ipsa urbs tunc interdicta, vel con-
 tra Ecclesiam Romanam in manifesta rebel-
 lione persisteret, seu de hostili invasione du-
 bitaretur. Tum vero in Civitate Castella-
 na, seu Urbevetana, seu Perusina electio
 Romani Pontificis fieri poterit, decernimus
 autem, electionem alibi factam nullam, &
 irritam fore.

Altera die post promulgatum hocce
 decretum præeunte SS. Eucharistia,
 quam Pontifices in itinere secum defer-
 re solent, Clemens Papa Roma disces-
 sit, comitantibus eum sexdecim Cardi-
 nalibus, nonnullis Episcopis, totaque
 ejus Curia. Bononiam delatus, ad
 Ecclesiam S. Petri deducebatur, ubi
 eum Præpositus unacum suo Clero ho-
 noribus Pontificiæ dignitati debitiss ex-
 cepit. Postmodum Papa die vigesima
 nona ejusdem Mensis Senatum habuit,
 in quo unacum suis Cardinalibus de
 norma ac modo celebrandi coronatio-
 nem egit.

§. LXXXIX.